

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 36

In nomine sancte et individue Trinitatis, Ludouuicus divina favente gratia rex. Studendum nobis per omnia necesse est Domini voluntati obtemperare, ut de temporali regno commutemus spirituale, de marcessibili inmarcessibile, de momentaneo eterno, ut mereamur illam beatam vocem Domini audire dicentis: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Idcirco oportet nos petitionibus servorum Dei aures libenter accomodare et eorum utilitatibus annuere. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum sollercia, qualiter Hildeboldus venerabilis abba noster deprecatus est celsitudinem nostram, ut ob mercedis nostre augmentum per nostre auctoritatis preceptum confirmassemus precepta que de temporibus predecessorum nostrorum ad monasterium Stabulaus facta fuerunt. Cujus petitioni ob amorem Domini nostri Jhesu Christi libenti animo assensum prebentes decrevimus ita fieri, et jussimus fieri hoc nostre auctoritatis preceptum, per quod decrevimus atque jubemus, ut quicquid nostri prodecessores ad prefatum monasterium Stabulaus concesserunt et nos concedimus, ut totum ibi perpetualiter permaneat, et quicquid Lotharius imperator frater noster ac filius et equivocus ejus nepos noster secundum quod in preceptis eorum continetur tam in villis quam in rebus monachorum stipendiis delegatis ac traditis, id est: in comitatu Arduensi villam que vocatur Lernov, et Graisda cum pertinentiis suis, et Watlinia cum integritate; in pago Condruscio villam Veruigium cum suis appenditiis id est Baina et Waltinam, et Lenion, et villam Siluestri Curtem, Osoniam, et locum quid icitur Uilla, in comitatu Laumensi villam Calco, in pago Hasbanico villam Hurionem; in Falminne pago villam Hummin, et locum qui dicitur Lomna, Bierant, Hulisbac, Genedricio, Medis; et in Strata mansum unum et mantias, et in Bratis mansum dimidium, et Curbionem et Wisipen, cum Melinam et Philuppam; sedilia insuper in portu Hoyo et Deonanto unde exeunt solidi XXXII. Nichilominus confirmamus eis que in precaria habentur per diversa loca et Carbal, Brachanta et Bouenneias. Eodem modo sancimus regali auctoritate atque precipimus, ut quicumque ex possessionibus prefati monasterii beneficia habent, absque negligentia et tarditate decimas fructuum ex mansis dominicatis ad hospitale cenobii adducere ejusdem non differant. Decimas etiam de fiscis nostris quas anteriores nostri concesserunt et nos dare cum integritate precipimus. Et ut nullus iudex vel missus audeat pro ipsis decimis dona accipere, et si aliquis pro hoc subtraxerit sicut in capitulari domni genitoris nostri continetur, ita qui fecerit, emendare cogatur, neque in villis eorum quilibet missus ad freda exigenda vel publicas causas audiendas aut mansiones vel paratas faciendas sive paraveredos seu carra exigenda ingredi presumat; neque theloneum, rotaticum, pontionaticum exigendum in aliquo loco, sed quicquid exinde ad nos venire debuerat in luminaribus basilice ipsius conferatur. Hec omnia prescripta cum his que supra Renum et supra Mosellam videntur habere, vel que divina pietas eis deinceps augere voluerit, in usus prescriptorum fratrum concedimus, omnino precipientes ut nullus abba neque ulla potestas inde quippiam eis auferre presumat, quatinus genitoris ac genitricis nostre memoriam in eorum orationibus habeant jugiter nostrequae carissime conjugis ac prolis nostre non obliviscantur per futura secula, sed eos Domini clementiam delectabilius exorare delectet. Et ut hec auctoritas firmior habeatur, manu nostra eam firmavimus et anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum domni Ludouuici serenissimi regis (L. M.).

Hebarhadus cancellarius ad vicem Luitberti archicappellani recognovi.

Data III^o idus junii, anno Christo propitio XXXXI regni domni Ludouuici serenissimi regis in orientali Francia regnantis, indictione VI. Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter. Amen.